

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Theodor Varmeier Theodor Dethmar

**Conclusiones Legales Processum : Famosissimae & Amplissimae L. Diffamari C.
De Ingen. Manumiss. breviter exponentes**

Rostochi[i]: Mederus, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731832574>

Druck Freier  Zugang



Verleihung

R. U. jur. 1639.
Värmeiv - Tethmar.

28
CONCLUSIONES LEGALES / 13
PROCESSUM *25*
19

FAMOSISSIMÆ & AMPLISSIMÆ

L. DIFFAMARI *104*
C. DE INGEN. MANUMISS.
breviter exponentes.

Quas
CHRISTO DUCE ET AUSPICE
Auctoritate ac Consensu Magnifici
& Nobilissimi JCtorum ordinis in cele-
berrima ad Varnum Academia,

PRÆSIDE
VIRO CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,
D. THEODORO VARMEIER
J. U. D. ibidemq; Professore Vicario & Practico exi-
mio, Cognato & Promotore suo ob-
servando.

Publicè ventilandas proponit
THEODORUS Dethmar Osnabr. VVestph. A. & R.

In Auditorio majori horis matutinis ad
diem 1. Junij.

Ponderet unusquisq; sermones suos, & quod sibilos
qui non vult, alteri non loquatnr, cap. ponderet,
distinct. 50.

RostochI, Literis Michaelis Mederi, Anno 1639.

XXIX.



Illustri, Generoso, virtute Heroicâ, & multiplici rerum bellicarum experientiâ longè eminentissimo

V I R O

D N. JOHANNI Schneidewindt/

Serenissimæ Majestat. & Coronæ Suecicæ militarium vigilium Præfecto summo, Domino Mecœnati & Evergetæ suo debito interviendi cultu æstatem venerando.

UT ET

Excellentissimo, Clarissimo Consultrissimoq;

V I R O

D N. JOACHIMO WILHELMO

Hast/ J. U. Doctori Eximio, & Cancelleriae Osnabrugensis pro tempore Directori dignissimo, Domino Amitino, Patrono ac Promotori suo summâ observantiâ perpetim collendo.

Positionibus hisce se suaq; studia in submissi animis testimonium & debitæ observantie indicinam commendat

Theodorus Dethmar A. & R.





PROœMIUM.

Um sit homini ingenui & liberaliter educati,
teſte Cic.lib.3.definib. velle bene audire à parenti-
bus, à propinquis, à bonis etiam viris; quilibet,
niſi famæ ſuæ prodigus, & proprij honoris
perſecutor dici velit c.i. de ſent. & re judic. exiſti-
mationem ſuam à calumniantium malitioſis
diſfamationibus, & virulentis linguae ſpiculis
aſſertum ire, ac injurias iniquo modo ſibi illatas per legitimos
juris trāmites propulsare, lege natura jubetur. Nam qui non de-
fendit, nec obſiſtit injuriæ, tam eſt in vitio, quām ſi parentes, a-
amicos, aut patriam deſerat. Cic.lib.1.offic. Ne autem quifq; ſibi iſpi
juſ dicat, & privatā authoritate injurias vindicet L.un.C. Ne quis in ſua
cauſ. l.13. ff. quod met. cauſ. l.176. ff. de regul. jur. Imp. Diocletian. & Ma-
xim. ſaluberrimum I.diſfamari beneficium introduxerunt, quo inno-
centes adverſus obtreſtatorum calumnias & convitia ſe munire,
eorumq; impudentem diſfamandia audaciam refrenare, & hono-
rem ac exiſtimationem salvam tueri poſſent. Sapientiſſimus
Philofophorum Princeps Socrates calumniatores nihil diſſere putavit
a pecudibus, ab aſino calcitrone, aut a bove cornupeta, qui tantum pau-
periem facere, injuriam facere non poſſunt. Quod ſi Ethnici, qui
carebant lumine fidei, ſolam ducem naturam, & humanam ra-
tionem ſequentes, calumniam & effrenem convitiandi libidi-
nem, quæ naturam arguit degenerem, & in ſequiore atq; impotentiore
ſexum, nempe in mulieres, pueros, aut puerili animo præditos viros, ut pluri-
mum cadere ſolet, tantopere averſati ſunt, quid dicendum de illis,
qui Christianos quidem ſe jaſtant, at non ponderantes quid De-
calogi præceptum, quid Christi vox, quid Evangelij verbum, &
charitatis regula præſcribant, innocentem proximum Theonino
dente rodere, ac famam ejus convitiis lacerare, pro delitiis quo-

A 2

dammodo

dammodo & oblectamento inter rugandum habent? Secundum incomparabilem J C tum Dn. Ernest. Cothman. p. m. non absimiles sunt Diabolo, cui à calumnia nomen inditum esse constat; immò sunt Diaboli incarnati, cujus virulentæ voces tam sunt atroces, ut cor etiam sapientis frangant. vid. Cothman. vol. 2. consil. 90. num. 8. & 9. Licet autem L. hujus diffamari remedium in Scholis & Theoria non sit adeò tritum & vulgare, in Praxi tamen & in judiciis, hoc insolenti seculo, quo diffamandi vitium nimis invaluit, usus ejus est frequentissimus, ita ut nulla lex magis sit versatilis in ore Procuratorum & Advocatorum, quam ista, teste Cæsar. Contard. in explicat. l. hujus cap. i. in pr. Nihil dicam de insigni legis hujus amplitudine ac dignitate, quæ exinde liquidò apparet, quod hæc sola inter tot leges Romanas, quas sacratissimus Imperator Justinianus autoritate suâ confirmavit, non semel, sed aliquotin Comitiis publicam declarationem sumere meruerit. Vide Reichsabschied zu Augsburg/ Anno 1530. §. Zu dem lassen Cammerrichter/ rc. Cammergerichts Reformation de Anno 1531. §. Item, nach dem auff jüngst gehaltenem Reichstage/ rc. Reichsabschied zu Regensburg de Anno 1532. §. Nach dem auch/ rc. Cammergerichts Ordnung part. 2. tit. 25. Quare non abs re me facturum putavi, si practicabilem hanc materiam certis positionibus comprehendenderem, eamq; pro virium mearum tenuitate, ad disquisitionis trutinam, discendi ergo publice examinarem. Sed cum bene & competenter universa gerantur, si rei principium fiat decens & amabile Deo Nov. 6. in prefat. qui potenti suo auxilio res penitus desparatas donare, & virtutis suæ magnitudine consummare potest l. i. §. 2. C. de veter. jur. encl. idcirco Patrem Domini nostri JESU Christi devotis precibus veneror, ut Spiritus S. sui gratiâ clementer mihi adesse, coepitisq; meis aspirare non dignetur, quod Disputationem hanc feliciter incipiam & ad optatam metam felicissimè perducam.

THESES. I.

Disserturi de remedio L. Diffamari à vocabuli acceptione exordimur: quandoquidem non uno modo usurpatur (a), Hoc loco Diffamare nobis est, famam

mam ac existimationem alicujus pravo quodam (b)
affectione dilacerare.

(a) Diffamare est verbum μέσον, quod in bonam partem usurpatum reperitur apud August. lib.3. cap.3. de Civit. Dei. frequentius malam recipit significationem, & accipitur pro eo, quod veteribus erat obvagulari & pipulo differre, quā phrasī usus est Plautus in Aulular. act. 3. sc. 2.

Ita me bene amet Laverna, tu jam nisi reddi

Mihi uasa jubes, pipulo hic differam te ante aedes.

Pipulo i.e. convicio, à pipatu pullorum deducto vocabulo. Calvin. in Lexic. Jurid. in verb. obvagulare. Germanis dicitur einen ausschreyen außfragen. Et in hac significatione sumitur 1. Strictè, pro famæ seu honoris diffamatione. 2. Late, pro qualibet diffamatione, quæ in alterius status, existimationis, juris, aut possessionis detrimentum dolo malo spargitur & divulgatur Blarer. in summ. l. diffamari num. 1. & seqq. VV e Jembec. consil. 96. n. 22. p. 2.

(b) Malignitate aliquâ vel dolo malo, quem leges & jura nostra omni modo puniri voluerunt, l. i. in pr. ff. de dol. mal. Sed cur Impp. in lege nostra malignitatem & errorem, quæ tandem separata sunt, ac longo intervallo distant, conjunxerint, queri potest? Respondemus, Impp. rectissimè malignitatem & errorem conjunxisse; cum error habens in se culpam dolo sic proximus l. i. ff. de LL. ibi, ignorantia l. 45. §. 2. ff. ad L. Aquil. Cæsar Contard. in Commentar. ad l. diffamari cap. 2. num. 15. Is enim qui famam & existimationem proximi absentis, seq; defendere non valentis, turpiter arrodere non veretur, non aliter delinquit, ac si ligatum interimeret sine causa; immò furatur nomen, atq; improbum contra proximum fert testimonium, adeoq; tria maxima juris divini præcepta, Non occides: Non sis testis iniquus: Non furaberis, contra dictamen propriæ conscientiæ, scienter transgreditur, vide ad h. l. n. 1. & 5. Johann. Oldendorp. Germania Sulpitium, uti eum appellat Dn. Cothman. respons. Academ. l. n. 125. Quid verò dicendum de illis, qui non suo ingenio cogitata convitiando egerunt, sed ab aliis auditæ per garrulitatem referunt, tali modo: audivi illum perpetrasse ho-

*micidium, adulcerium, stuprum &c. Ego quidem non credo, sed
audita retero narrativè, non verò animo calumniandi? Respōd.
licet de proposito atq; animo injuriandi manifestè non constet,
nec jus protinus quem juvare soleat, ut actionem injuriarum in-
stituere possit; tamen cum nec indirectè fama alicujus sit captan-
da, neq; dolo careat qui autoritate alterius mentientis vel maledi-
centis ausus est calumniis & probrosis verbis quem petere, aut
quod ad diffamationem ejus spestat, temerè & minus considera-
tè spargere, diffamatus ejusmodi traductionem patienti animo
devorare nolens, fretus conscientiâ suâ, condictionem ex salu-
berrima lege Diffamari, quam egregius JCtus Marquard. Freherus
in elegantia tractatu suo de fama publ. lib. 2. cap. 17. n. 3. Everriculum omnium
injuriarum & mendaciorum vocat, contra tales fugillatorem rectè
poterit intentare, vide quæ eleganter hac de re tradidit dict. Fre-
her. lib. 2. de existimat. cap. 9. n. 16. & seqq. Quod si in probatione famæ,
quam diffamator prætendebat, deficiat, meritò ut diffamatori
silentium perpetuum judicato dictatur, & via injuriarum actioni
sternitur. Lindeman. in Exercitat. Justinian. Disp. 8. tit. 4. thes. 27. Roland. à
Valle consil. 57. n. 3. vol. I. Prosper Farinac. consil. 30. n. 26.*

11.

Significationem vocis subsequitur L. hujus defini-
tio (a) seu potius descriptio, quām cūm in jure no-
stro non reperiamus, placuit nobis ita illam populari-
ter & prout res patitur, definire, quod Legis Diffama-
ri beneficium sit extraordinarium (b) quo diffamatus
injurias (c) sibi vel rebus suis iniquo modo (d) illatas
(e) per legitimos juris tramites vindicat (f) ne de cœ-
tero inquietudinem sustinere cogatur.

(a) A significatione vocis ad definitionem ejusdem descendentes sequimur consilium Justiniani & Paulli JCti, qui instituti tractationem de Tuteis primò tradunt, quid sit Tuteles. §. est
autem. Inst. de Tur. & l. i. ff. eod.

(b) Remedium l. diffamari extraordinarium esse liquidò con-
stat

stat ex ordin. Camer. part. 3. tit. 3. ubi l. diffamari recensetur inter causas extraordinarias. Eandem sententiam post alios à se allegatos amplectitur Contard. cap. 4. n. 98.

(c) Per injuriam hoc loco intelligimus i. Convicium, quo alterius dignitas, existimatio, honor & fama ab alio diffamandi animo dolosè proscinditur vel læditur arg. l. 1. §. 1. 2. l. 15. §. 24. ff. de injur. ut cum aliquis delator. l. 3. vel homicida l. 5. vel servus l. 9. & 10. C. de injur. vel adulter, vel fur ac nebulo, latro, proditor, falsarius, usurarius appellatur, aut etiam aliis modis contra bonos mores injuriis laceratur. Sedanne injuriarum tenebitur is, qui alteri verum crimen objicit? Distinguendum esse arbitramur tali modo: aut enim reipubl. expedit crimen revelari, aut non expedit. Priori casu, cum animus detegendi, non injuriandi præsumatur, convicium dicens non tenebitur injuriarum per l. 28 ff. de injur. Altero casu, quando non inter est reipubl. crimen manifestari, convicians meritò tenet; cum in actione injuriarum non tam veritas convicij, quam petulantia & libido calumniandi spectetur l. quisquis C. de postuland. vid. Geil. lib. 2. ob serv. 99. 2. Accipimus hic injuriam pro contumelia, quæ factò & re ipsa rebus nostris infertur §. 1. Inj. de injur. l. 9. ff. eod. veluti cum quis possessionem alterius invadit l. 13. S. ult. l. 15. §. 31. & 32. vel si quis alterius bona, tanquam sui debitoris occupet & possideat d. l. 15. §. 33.

(d) Diximus, iniquo modo; quia occasione juris & possessionis suæ, quæ quis utitur, nemo diffamare præsumitur. per l. 13. §. 2. 6. ff. de injur. ut si dicam tibi nullum jus competere in re à me possessa, non videor te diffamare. Contard. ad l. diffamari cap. 4. n. 19. & seqq.

(e) Beneficium l. nostræ non tantum datur ob injuriam illicitam, sed etiam ob futuram calumniam, & ubicunque subesse vindetur justa aliqua diffamationis suspicio, si videlicet aliquis minetur, quod velit actionem intentare, quo casu implorari potest officium Judicis, ne fiat molestatio vel inquietatio, & ut diffamato imponatur silentium. Sapientis enim est, ea in tempore prævidere, quæ contingere possunt. arg. l. si quis domum §. 1. ff. locat. cum melius sit in tempore occurtere in commodo, quam post causam vul-

vulneratam remedium quærere *l.i.C. quand. lic. uni. fin. iud. se vindic.*
l.fin.C.in qnib. caus. rest. in integr. non est necess. Sic etiam in *l.fin.C.de usur.*
pupil. Tutoribus & Curatoribus ab Impp. præscribitur, quâ ratione à futura calumnia queant esse tuti. *Confer Cothman. consil. 83.*
n.16. & 17. vol.2. Eadem ratione in Camera Imperiali ad supplicationem partis, se spoliari, vel in possessione sua turbari timentis, quando subest justus armorum vel violentiæ metus, mandata de non offendendo sub pœna banni absq; ulla clausula justificatoria decernuntur, per expressum textum in Reichs Abschiede zu Regensburg de Anno 1594. verba sunt hæc: Wir lassen vns auch was durch Cammrd Richter vnd Beysser erlicher vnterschiedlicher Fälle halben / circa materiam Mandatorum cum & sine clausula bedacht worden / wol gefallen vnd wollen/ daß bedrawung halben Mandata de non offendendo erkannit werden mögen/ so fern die Personen/ so gedrawet/ also geschaffen vnd im Brauch haben/ ihren Bedrawungen nachzusezen/ oder ein solches sonstens auf allerhand Umbständen zubesorgen were. Ita Archiepiscopo Trevirensi contra Reginam Mariam & Brabantinos processus ex *l.diffamari*, præviâ deliberatione, suo tempore decretos esse testatur *Mynsing. cent. 5. ob. 81. n.7. Adde Geil. lib. 1. de pac. publ. cap. 2. n. 10. & seq. Blarer. in repetit. l. diffamari. cap. 2. n. 14.*

(f) Quamvis diffamatus fuit calumniarum impetus innocentia atq; integritate conscientiæ suæ posset eludere, juxta illud:

*Integritate fretus unicā, nigrum
Dentem retundam, murus hic aheneus
Vacare noxā, summus hic apex boni.*

tamen cum calumniatores inverecundi, omniq; pudore destituti, aliis malè sentiendi causam præbeant, existimantes, ejusmodi diffamationibus honesto alterius nomini & bonæ famæ turpidinis maculam inuri, secundum tritum illud: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret;* proinde crudelis meritò dicendus esset is, qui posthabitat famâ suâ, quæ pari gradu cum uita procedit, injurias sibi illatas per legitima juris media non vellet vindicare. Nemo enim reperitur, qui non æquiore animo iictum saxi in capite, quam plagam in fama sustineat *Anton. de Guevar. in Horolog. Princip.*
Ideoq;

Ideoq; cuiuslibet non minori curâ & studio honor atq; famæ integritas, quam vita ipsa cordi esse debet l. 8§. 2. ff. Quod met. caus. Geil. lib. 2. observ. 100. n. 6. Erbare Leute haben allewege das Leben vnd die Ehre gleich geachtet vnd die Verlezung oder Verleumündung an Ehren höher vnd beschwierlicher denn Leibes Beschädigung gehalten. Zobel. part. 4. diff. fer. jur. civ. & Saxon. diff. 7. n. 25.

111.

Progradimur jam ad personas, quæ hoc remedio sese tueri possunt. Datur condicō ex hac lege omnibus quæ de statu suo (a) vel aliquo delicto (b) vel debito (c) vel alias ratione juris (d) aut, possessionis suæ (e) dolo malo diffamantur (f). Competit etiam illis personis, quæ status sui, seu rerum suarum detrimentum, molestationem & perturbationem ex diffamatione eventuram quandoq; verisimiliter verentur. (g)

(a) Per Statum intelligimus conditionem hominum, secundum quam alij ingenui sunt, alij libertini, alij servi. Ut autem aliquis diceretur ingenuus, sufficiebat matrem conceptionis, intermedio, vel partus tempore liberam fuisse; constitutum enim erat, natalibus non officere manumissionem l. partum C. de rei vindic. l. placuit C. de liberal. caus. §. 1. Inst. de ingen. Quod si igitur quis statum alterius fugillet dicendo illum esse servum, cum ab omnibus habeatur liber ac ingenuus, diffamatus contra diffamantem condicōne ex l. nostra poterit experiri, ut videlicet declaretur integræ famæ seu status, & ut diffamanti perpetuum silentium imponatur Schneidwin. ad §. præjudiciales inst. de action. n. 18. Intelligimus autem hic illas personas quæ legitimam personam standi in iudicio habent. per text. in l. 13. ff. Si quis caution. judic. sit. Unde quæri hoc loco solet, *an remedium L. diffamari Banniti,* qui extra protectionem juris & pacem Sacri imperij constituerunt, intentare possint? Negantium dogma sequimur; quia omnibus illis, qui ex forma juris vel statutorum agere non possunt, beneficium hoc denegatur Contard. cap. 4. n. 3. Ideoq; cum

B

Banni-

Banniti non habeant legitimam personam standi in judicio diffamatorio, beneficio L. diffamari se tueri nequeunt. Geil.l.2.dep^{ac.}. publ. cap.12. n.28. amiserunt enim omnes obligationes & actiones, ut expresse constat ex Ordinat. Cam. part.2. tit. 9. §.2. ubi constitutum legimus: Dass alle Beschreibungen / Pflicht vnd Bündniß ihnen zufest hende/ vnd darauff sie Spruch vnd Forderung haben möchten/ gegen diejenigen die ihnen verhaftet waren/ ab vnd tott seyn sollen. Prædicta quoq; obtainent in Excommunicatis, excommunicatione scil. majori Contard. cap.4. n.83. Blarer. loc. alleg. qua nulla pena est major. I. hi qui sanctam. C. de apostolat. c. corripiantur 24. quæst.3. An vero contra Excommunicatos hoc remediu competat, non ita expeditu est? Affirmantium opinioni calculum nostrum adjicimus, ne quod contra ipsos inductum, iis cedat emolumento. Judex tamen, cum hic versetur periculum animæ & favor publicæ utilitatis, poterit eostanquam inhabiles à limine judicij repellere Blarer. cap.3. n.8. & 9. Cagnol. ad h. l. num. 13. Solent etiam Interpretes hoc loco movere quæstionem illam, an adversus diffamantem ratione, fori privilegiatum diffamatus condicione ex l. diffamari uti possit? Ad affirmativæ adhæremus sententiæ, quam comprobavit Contard. cap.3. n.33. & seqq. ubi statuit, quod remedium hoc detur contra Episcopos seu Prælatos, contra Fiscum sive Procuratorem Cæsariss, & contra Tutores & Cutatores, per jura & autores ibid. allegat. Hanc sententiam quoque amplectuntur Gilhausen de injur. & famos. libell. §.5. n. 153. Marant. in Specul. aur. part.4. dist. 21. n.11.

(b) Vide supra thes. 2. lit. c. & ibi notata.

(c) Omnis debitor habens exceptionem potest impetrare à Judice, ut putativo suo creditori in termino debitum non probante imponat silentium super illo debito, in quo exceptione tutus est. Blarer. cap.2. n.6. & 7.

(d) Puta si quis asserat, mē rem aliquam emissę ab eo, cui non competebat jus vendendi, & idcirco se rem illam à me petiturum, vel se jus aliquod habere in ea re quam ego possideo. vid. Contard. cap.3. n. 7. Ut autem ratione juris diffamato adversus diffamantem competat actio ex l. nostra, duo præcipue requiruntur, 1. Ut diffamatus habeat & possideat jus illud, in quo per diffa-

diffamationem turbatur. 2. Ut judex eum aliqua causæ cognitio-
ne de inquietatione, quæ ex diffamatione oritur, certò edocean-
tur, antequam processus decernat. Geil.lib.1.obs.10.n.7.idem disertus ver-
bis requirit Ordinat. Camer. part. 2. tit. 25. ubi Imperator inter alia statuit:
Dass auch CammerRichter vnd Beyfischer/ che vnd zuvor sic solche Pro-
cess erkennen / der diffamation halben / durch schriffliche oder andere
glaubliche Vrkunde vnd Anzeig/informir et vnd berichtet seyn/rc. Ul-
teriorius hoc etiam confirmarunt Commissarij Deputati Spiræ in
Reformat. Judic. Cam. Anno 1531. Et Anno sequenti 1532. ipse Imperator,
Proceres ac Status Imperij constitutionem super l. diffamari in
hunc modum conluserunt: Dass in allweg causæ cognitione der
diffamation halben/ vorgehen/ vnd keine Gefährde darin gebraucht
werden solle. Non tamen necesse est, ut Judex, priusquam diffa-
mantem citet, eiq; terminum ad agendum præfigat, causam ple-
nariè cognoscat, sed summariam saltem causæ cognitionem suffi-
cere tradit Cothman. vol. 2. consil. 70. n. 65. Tum autem Judex causâ
cognitione statuere dicitur, cum partibus citatis, & auditis earum
allegationibus, vel contumaciter absentibus in causa procedit.
arg.l.13.in fin.pr. ff.de minorib. Cont.ard. cap.4.n.12.

(e) Si quis me diffameret, dicendo prædium illud non esse
meum, sed suum, meq; illud non tenere legitimo juristitulo,
vix mihi facere dicitur respectu possessionis. *arg.l.ii. ff. de vi & vii
armat.* Nam sola verbalis inquietatio, etiam molestatio dicitur, &
vix in se continet turbativam *Bart. in l.1. §. hujus autem ff. uti possid.*

(f) Cum non sufficiat allegare justas diffamationis causas,
quæritur quomodo sit probanda? Probatur per vociferationem
diffamantis, quod videlicet vulgo vel in coetu hominum, vel co-
ram pluribus, vel etiam coram paucis, haec vel illa diffamator di-
xerit. *l.item apud Labeonem 15. §. 29. ff. de injur. Mar. ant. in Specul. aur. part. 4.
distinct. 21. n. 22.*

(g) E.g. Si monasterium diffamaretur ab Episcopo afferente
illud sibi in quibusdam juribus debitorem esse, monasterium ju-
dicis officium implorare potest, ut is Episcopo terminum statuat,
intra quem jura sua deducat, alias Judex à diffamatione eum de-
sistere præcipiet. *per l. diffamari. &c. conquerente Extra. de offic. judic. or-
din. & c. lator. qui sint fil. legitim.*

Consideratis personis, convertimus nos ad causas
in quibus locum habet L. diffamari. Reperiuntur non-
nulli etiam magni nominis J. Cti (a) qui hanc legem in-
tra angustos cancellos restringunt, existimantes eam
in causa status & ingenuitatis (b) saltem valere. Cui
sententiae calculum nostrum meritò subtrahimus, ita
ut Legis hujus remedium non tantùm in causa status
& libertatis; sed in omnibus diffamationum causis (c)
tam in civilibus quam criminalibus (d) matrimoniali-
bus, petitoriis, possessoriis (e) locum habere rectè sta-
tuamus.

(a) Inter quos primum locum tenet Anton. Faber. decad. 51.
Error. Pragmat. i.

(b) Loquitur quidem l. diffamari de quæstione status, ta-
men propter magnum & saluberrimum ejus usum, ac quotidiana-
nam praxin, tam Legistæ quam Canonistæ communiter illam
tam latè extendunt, ut in omnibus causis, in quibus cædem ratio-
nes militant arg. litem veniunt s. ait Senatus ff. de heredit. petit. l. 32. ff. ad l.
Aquil. eam obtinere, & inter cæteras actionum formulas prin-
cipem locum sibi vendicare contendant. teste Blarer. cap. 1. n. 6. Diver-
sum statuentes VV. esembec. contit. q. 6. vol. 2. n. 7. vocat ipsi slos, hoc est,
sæle jurisprudentia & artis boni & æqui non adspersos. Corbman.
conf. 83. vol. 2. n. 22.

(c) Quamvis de jure nostro communi Judices l. hujus benefi-
cium legitimè petentibus, in quovis diffamationum genere non
soleant denegare; in Cameræ tamen Imperialis judicio propter
fraudulentam & malitiosam petulantiam veteratorum quorun-
dam, qui neglectis ordinariis actionibus, bonos litibus ac litium
expensis indies vexare, & in eorum detrimentum remedio hoc
temerè abuti non verebantur, contra latam juris communis in-
terpretationem L. Diffamari ad certas causas, scilicet turbatæ pa-
cis publicæ, atrocium injuriarum, & similium casuum ad scan-

dalum

C. 63. 2

dalum spectantium, est coarctata & restricta, ut ex Ordinat. Cam.
part. 2. tit. 25. videre est, in verbis: Demnach sezen vnd ordnen wir / das
Lex Diffamari an dem Cammergericht verstanden vnd gebraucht wer-
den soll/ in Friedbrüchigen Schmach: vnd andern dergleichen Sachen/
in denen solche diffamation gefährlicher / betrüglicher weise / oder in
andere wege/ dem andern Theil zum nachtheil vnd Beschwerung gesche-
hen. Adde Reichs Abschied zu Regensburg de Anno 1532. §. Nach dem
auch! Geil.lib.. observ.g. auum.1.

(d) Arg. l. si ea C. de his qui accus. poss. l. cum Titia, ff. de accusat. Cæ-
sar Contard. cap. 3. n. 25.

(e) c. in præsentia. Extra. de probat. Cagnoli. in interpret. l. diffamari.
n. 3. Contard. cap. 3. n. 24. V. e semb. cons. 30. n. 10. vol. 1.

V.

Hactenus de personis & causis, in quibus l. nostræ
beneficium locum obtinet, nunc perendum erit ad
processum ipsum, ubi primò ventilandam se offert
quæstio illa non minus trita, quam controversa, quis
in judicio L. diffamari dicendus sit judex competens
& ordinarius, an diffamantis, vel diffamati? (a) diver-
sas hic reperimus diversorum J Ctorum opiniones,
nos illorum sententiæ subscribimus, qui Judicem dif-
famati & non diffamantis in hoc judicio competen-
tem esse asseverant. (b)

(a) Quæstio hæc dependet ab illa, Num agens ex L. diffamari
sit actor, vel reus? Sunt quidam qui volunt intentantem condicatio-
nem ex hac l. id est, diffamatum esse auctorem, ex hac ratione, quod
ille qui primò adjudicium provocat, dicatur actor l. 13. ff. de judic.
l. 14. ff. de injus. voc. and. Hujus sententiæ assertores sunt Matth. de Afflict.
decis. Regni 263. Ayrer. in process. jur. part. 1. c. obff. s. n. II. Alij contrariam o-
pinionem foventes statuunt, diffamatum qui propter diffama-
tionis periculum ad defensionem necessariam suscipiendam
compellitur, esse revera reum, & diffamantem auctorem, qui dif-
famando diffamatum tacite ad judicium provocavit, seq; ad a-
gendum constituit. arg. c. si clericus l. uic. c. cum sit gener. i.e. s' e foro com-

B 3

fetent.

petent. Corthman. consil. 33. vol. 2. n. 38. Blarer. cap. 4. n. 8. Cagnol in h. l. n. 9. Geil. lib. 1. obs. 9. n. 7. Mynsing, cent. 6. obs. 90. Et hoc ipsum novissimis imperij constitutionibus in ordinat. Judic. Imper. Camer. p. 2. tit. 25. Imperatoriā authoritate comprobatum est, ibi, auch nicht anders / dann so die ansuchende Parthen/ die in der Hauptſache antwortet (pars supplicans quæ in cauſa principali rea est) der Keyserl. Mayt. vnd dem Reiche ſonſt ohne Mittel unterworffen/ ic. Atq; ſecundum hanc ſententiam Senatum Pedemontanum pronunciæſſe teſtatur. Cacheran. decif. 15t. in fin. Sed quid in hac opinionum diſeritate diſcendum? Nos diſtinguimus cum Patre Practicorum Geil. lib. 1. obs. 11. n. 2. inter judicium diſfamatiōnis, in quo de veritate jaſtationis, traſductionis, vel impoſitione perpetui filientij traſtatur. Et inter judicium actionis ſivæ cauſæ principalis, in quo diſfamator intra terminum conſtitutum agere tenetur. In primo diſfamatiōnis judicio diſfamatus pro actorē habetur: in altero actionis judicio diſfamator. Et ſic qui in primo diſfamatiōnis judicio reus erat, in ſecundo actionis judicio actor eſt. Licet diſfamatus ad evitandam cauſarum conuisionem ſemper in Camera appelletur Actor Kläger/ & diſfamans Reus Beſtagter. Schwanman. lib. 2. cap. 22.

(b) Cum diſfamans tacitè ſe ad agendum aſtringat, extra omnem dubitationem ſequitur, quod actor dicatur, & ſequatur forum rei ſeu diſfamati, qui ſtimulo diſfamatiōnis coactus judicis officium implorat, eiq; ſuggerit diſfamatorem diſfamasse, & ad judicium provocaffe; nihilq; aliud petit, quam ut diſfamator agat, aut in posterum fileat. Mynſloc. alleg. Corthman. d. conſil. n. 38.

V I.

Quamvis citatio ſit fundamentum (a) processus & ordinis judiciarij præparatio, qua agere volenti info- rum aperitur aditus; tamen cum judeſ non impertiat officium ſnum niſi imploretur (b) meritò in hoc judicio i. diſfamari legitimum principium supplicationem ſeu libellum ſupplicem conſtituere, illumq; citationi præponere recto ordine voluimus (c). Eſt autem Sup- plicatio ſeu petitio brevis narratio factæ diſfamatio- nis

nis continens implorationem officij Judicis pro decernendis processibus (d).

(a) Omnim actionum instituendarum principium ab ea parte Edicti proficiscitur, quâ prætor edicit de in jus vocando. Unde in primis adversarius in jus vocandus est, videlicet ad eum, qui jus dicturus est. §. *Omnium Inst. de pœn. tem. litigant.* quod nisi fiat, actus judiciarius contra non citatum redditur nullus c. i. de caus. posseſſ. & propr. element. pastoralis ad fin. de re judicat. *Geil.lib.1.obs.48.n.1.*

(b) l. 4§. hoc autem. 8. ff. de damn. infect. l. ut fundus ff. comm. divid. *Geil.lib.1.obs.50. n.6.*

(c) Hodie in omnibus bene constitutis judiciis talis ordo servatur, ut agere volens judicem adeat, eiq; libellum supplicem vel petitionem exhibeat pro impetrando processu & decernenda Citatione contra partem adversam. *Mindan. lib. 1. de mandat. c.1.2.* & seqq. nam si citatio non sit facta ad petitionem & instantiam partis, nullum hic habet effectum *Geil. lib. 1. obs. 50. n. 5.* Confirmat hoc etiam *Ordinat. Camer. part. 1. tit. 22.* ubi pro mandatis & processibus impetrandis prius supplicandum esse, decernitur.

(d) Supplicationem quam diffamatus exhibit Judici *Corthman. confil. 83. n. 39. vol. 2.* appellat libellum imploratorium & requitorium. quem diffamatus offert pro obtainenda citatione, ad explorandam diffamati voluntatem, an videlicet paratus sit nec ne diffamationem suam in judicium deducere, eamq; legitimè probare. Quod si intra terminum à Judice præfixum non compareat, judicium probatâ diffamatione, super solo libello, tanquam principali fundamento, latâ contra diffamatorem sententiâ procedit. *Blarer. c. 5. n. 6.* Debet autem in hoc nostro judicio, ut etiam regulariter in omnibus causis, Libellus judicii in scriptis offerri Dd. in auth. offeratur. C. de tit. contefstat c. 1. Extrr. de libell. oblat. De Requisitis libelli vide *Geil. lib. 1. obs. 61.* & 62. *Mindan. de proceſſ. extrahend. part. 1. cap. 1.* & seqq. In judicio L. diffamari tria præcipue debet continere libellus, 1. narrationem diffamationis, quam diffamatus probare tenetur. Nam Judex non potest processus decernere, priusquam habeat probabilem notitiam factæ diffamationis. *Mynsing. cent. 3. obs. 78. vid. supr. theſ. 3. lit. d. 2.* Expositionem periculi & damni inde emergentis. 3. Petitionem & implorationem officij

Judi-

Judicis de certo termino diffamanti præfigendo, & nisi intra eum comparuerit, perpetuo ei silentio imponendo. *Gylman. in Symphorem. Supplicat. Camer. part. i. Tit. 9. n. 1.*

V. I. L.

Supplicationem seu libellum supplicem legitimo ordine excipit citatio, (a) Estq; vel publica vel privata. Publica fit per edictum (b) quando citandus vel est in longinquis partibus: vel impedit per se, vel per alium, ne citatio ad se perveniat; vel etiam quando persona est incerta & vagabunda. (c) Privata citatio fit privatim in certam personam, cum Judici constat, quo in loco citandus commoratur. (d)

(a) Citatio ex l. diffamari est voluntaria, cum sit in potestate citati comparere, & assertionis suæ causas producere, vel non comparere, ut appareat ex verbis l. nostræ, ibi, si defensionibus suis confideret. Unde manifestum evadit, Citationem hoc in judicio nihil aliud esse quam meram denunciationem ac admonitionem ad explorandam voluntatem citati; cuius hic est finis, ut si de jure suo confidat, veniat, & intra statutum terminum prætensum jus suum in judicium deducat, aut in posterum taceat. *Geil. l. 1. obs. 9. n. 6.*

(b) Citatio quæ fit per Edictum est irregularis & à jure communi exorbitans, atq; tum deum conceditur, quando alio modo citatio fieri nequit. *Althus. in Dyæolog. lib. 3. cap. 49. n. 31. Geil. lib. 1. obs. 57. in pr.*

(c) Vide text. notabil. in c. 1. de judicis in Clement. Sed an absences ejusmodi Edicta ligent, non ita expeditum est? Nos distinctionis foedere pugnantes Dd. opiniones conciliabimus. Notandum etiam hoc loco, quod talia Edicta in tribus locis domicilio citandi vicinis, ad publicas curiarum vel templorum valvas affigisoleant, ut in causis matrimonialibus, in venditione pignorum, in causa plurium creditorum de prioritate pignoris certantium fieri consuevit. *Geil. lib. 1. obs. 57. n. 10. Rosbach. in prax. civil. tit. 27. n. 3.*

(d) Quid

(d) *Quid si diffamans ad peregrinum tribunal vocatus objiciat se jurisdictioni judicis? Citantis non esse subjectum, poteritne eo casu judex diffamantem ex alieno territorio citare?*
Negandum primò videtur, cùm citatio regulariter superioritatem præsupponat in citante, & subjectionem in citato. Nam supra jurisdictionem vel extra territorium jus dicenti vel citanti impunè non paretur *l.su. ff. de jurisdict. l.2. ff. si quis in jus vocat. non ier.* Licet quæstionis hujus expeditio non sit ita facilis, adeò ut decisione Imperatoria eam indigere Dd. dixerint; nos tamen breviter dicimus *cum Coler. de processib. executiv. p.3.c.7.n. 30.* hanc in praxi esse observandam formam in alieno territorio citandi, ut videlicet Judex citans mittat literas subsidiales judici alterius provinciæ, cui subjicitur citandus, eumq; requirat, ut ipse reum sive diffamantem in subsidium juris citet, ipsumq; ad præfixum terminum in citatione constitutum moneri ad comparitionem curet, vel ut citationis executionem in loco territorij sui fieri permittat, offerendo te in simili casu facturum paria. Pro tali citandi modo militat. *l.1. §.2. ff. de requir. vel absentib. damnand. Nov. 134. cap. 5. vid. Cothman. consil. 83. num. 27. vol. 2. Geil. loc. alleg. VV esembec. consil. 96. n. 24.*

V 1 I I .

Probavimus supra thes. 5. judicem diffamati in hoc judicio esse competentem, unde prono quasi fluit alveo, liberam termini præfigendi potestatem eidem judici competere. Nam tempus hoc constituendi terminum merè arbitrarium, & Judicis sententiæ committendum esse, Dd. communiter statuunt (a).

(a) Quia quod certa lege definitum non est, consistit in jus dicentis potestate. *per l.1. §.1. ff. de jur. de lib.* Notandum tamen Judici, ne terminum nimis brevem diffamanti constituat, sed talem intra quem citatus comparere, ac venire commodè possit; cum omnibus decretis id tacitè inesse intelligatur, ut tempus competens detur. *arg. l.2. §.6. ff. de eo quod cert. loc. quod judex æquus secundum conditionem causarum vel personarum, vel secundum negotij qualitatem, pro prudentia sua moderabitur & constituet*

L.72. ff. de judic. l.2. ff. de re judic. l.137. §. 2. ff. de verb. oblig. c. quod ad consultatio-
nem. Extr. de sent. & re judic. c. Si Episcopus caus. 3. quæst. 2. Cui etiam ad-
stipulantur Domini Camerales, qui ratione loci nonnunquam
longius, nonnunquam brevius tempus in citatione præfigunt
Geil. lib. 1. obs. 53. num. 20. Rosbach. in prax. civil. tit. 25. n. 14. Nam si terminus
nimis angustus à Judice sit constitutus, licet poterit appellare.
cap. i. Extra. de dilat. Contard. ad h. l. cap. 5. n. 6r De hoc verò quo die-
rum debeat esse terminus diffamanti à Judice præfixus, omnia
ferè judicia suas habent peculiares ordinationes ac consuetudi-
nes, qui judiciorum Stylus in præxi pro lege est servandus Rosbach.
d. tit. n. 11. Cothman. consil. 4. vol. 3. n. 37. De jure civili terminus est zo die-
rum intra quem à facta citatione comparendum est. Nov. 53. cap. 3.
Rittershus. ad Novell. part. 9. c. u. n. 24.

I X.

Diffamatore post emissam primam citationem in
termino non comparente (a) necessum est ut diffama-
tus contumaciam diffamantis accusando (b) summa-
riam petitionem repeatat, ut Judex ipsi denuo termi-
num ad agendum præstituat, quo demum elapso nisi
comparuerit (c) Judex eum ratione diffamationis &
contumacia non tantum in expensas condemnabit,
sed & perpetuum silentium eidem per sententiam (d)
imponer. (e)

(a) Diffamanti in primo termino non comparenti perpe-
tuum silentium vigore primæ citationis non statim imponitur,
nam unicam citationem hic non sufficere, sed binam Iudicis
monitionem necessariò requiri putamus, ut sufficienter probari
potest ex verbis I. nostrar. ibi, diu vocitasse diversam partem, quo verbo fre-
quentativo Latini scriptores pro frequenter atq; iterum vocare
utuntur. Præterea etiam cum hic agatur de privatione juris, ut vi-
delicet quis excludatur ab agendo, cautius procedendum est. Pro
qua sententia facit Nov. 131. cap. 11. §. si autem. & l. fin. C. de usur. pupill. Sic
priusquam liceat uxori, cuius maritus eā contemptā cum aliis fre-
quentetur.

frequenter manere reperitur, solvere matrimonium & recipere datam dotem & antenuptiale donationem, necessum est ut maritus semel & secundò sit culpatus. *Nov. 117. cap. 9.* Eadem ratione presbyter-aut diaconus habens mulierem in domo sua quæ possit ei suspicionem inferre, non potest ab Episcopo secundum Ecclesiasticos canones de clero amoveri, antequam semel & secundò ea de re sit admonitus. *Nov. 123. cap. 29.* Et hanc sententiam tanquam juri conformem in Camera Imperiali approbatam esse testantur *Geil.lib.1.obs.12.n.14. Mynsing.cent.3.obs.86.n.2.*

(b) Judex contra contumacem non solet procedere ad aliquem actum, nisi alterā parte instantे *Dd.in l. properandum. §. 2. C. de judic. Gylman.in Symphor. supplic. Camer. part. 1. tit. 9. n. 16.*

(c) Huc pertinet quæstio illa inter Dd. non parum agitata, utrum diffamatus contempnatur secundum citationem posse terminum effluxum comparens sit audiendus? Respond. quamvis reperiuntur qui statuant illum ob contumaciam ulterius ad agendum non admitti, nobis tamen affirmantium sententia verior videatur, cum diffamanti juris sui persecutio non ante sit adempta, nisi per sententiam imposito silentio contumax sit declaratus. Quod verum est, si purgare moram, & justam possit allegare causam. *l. 31. §. 22. & 23. ff. de adilit. edict. l. 8. si quis caution. jud. sif. Gylman. loc. alleg. n. 17. Cagnol. ad h. l. n. 16. & seqq.*

(d) Ad audiendam hanc sententiam contumax iterum erit citandus, cùm in condicione l. diffamari de magno agatur gravamine & præjudicio; proinde etiam Judex ad quamlibet sententiam, quæ sit alicujus præjudicij, partem adversam citare debet. *l. si accusatoribus. C. de accusat. Geil.lib.1.obs.109.n.2. Contard. c. 5. n. 38.* **De sententia verò quod diffamatori perpetuum silentium imponitur, queri hoc loco solet, an sit definitiva, an verò interlocutoria?** Sunt qui opinantur hanc sententiam neq; definitivam, neq; interlocutoriam dici debere, sed rectius decretum appellari. *Odofred. in l. nostra circa fin. Alij definitivam hanc esse contendunt, in quam sententiam crebrius itum esse dicit Contard. cap. 5. num. 140. & seqq.* Nonnulli affirmant, quod sententia in hoc judicio lata, cum post eam non speretur alia, habeat vim definitivæ. *Blarer. c. 9.*

num. 6. Et hanc posteriorem sententiam, ut receptorem, ita & ve-
riorem nos quoq; amplectimur. Quando verò interlocutoria
obtineat vim definitivæ, eleganter tradunt Geil. lib. 1. obs. 130. num. 6.
Mynsing. cent. 3. obs. 88. Rosbach. in process. civil. tit. 71. n. 5.

(e) Im positio silentij nihil aliud est quam prohibitio Ju-
dicis, quā diffamatori non tantum omnem inquietationem &
traducendi licentiam aufert, sed & perpetuum silentium impo-
nit, ne prætensam actionem possit amplius intentare. Cagnol. ad h.
l. n. 1. Quod si diffamans spretā hac sententiā, à calumniis & con-
viciis ex pertinacia desistere nolit; concessum est Judicii jurisdi-
cionem suam defendere poenali judicio l. i. in pr. ff. Si quis jus dicere
non obtemp. & diffamantem injunctā poena cogere ut latæ fenten-
tiae obtemperet per l. nostr. in fin. Sed cum ultra hanc perpetui silenti-
jij impositionem diffamatus nihil amplius ex condicione l. dif-
famari consequi possit, Reipubl. vero & privatis maximè expe-
diat, aliis quoq; remediis malitiosas pravorum hominum diffa-
mationes coérceri; ideoq; optimo jure prospectum est diffama-
to, ut actiones injuriarum, de dolo, damno & interesse, contra
diffamantem quoq; possit intentare. Blarer. cap. 1. n. 5. & cap. 5. circa
fin. Contard. cap. 3. n. 130. Cagnol. ad b. l. n. 4. Non obstat quod agens ex l.
diffamari actionem injuriarum remisisse videatur, cùm legis no-
stræ remedium sit actionis injuriarum præparatorium. Nam dif-
famatus, cui certò constare non potest, quasnam diffamationis
suæ causas diffamans in medium sit allatus, injuriam illatam eò
melius poterit propulsare, si utraq; actione, ex l. diffamari, & in-
juriarum experiat, cum petitione, ut nisi diffamationem diffa-
mator probet, legitimis poenis coérceatur. Et talem procedendi
modum ad evitandos litium circuitus & multiplices processus in
praxi probè notandum dicit Geil. lib. 1. observ. 63. n. 8. Sed utrum con-
dictio ex l. diffamari cum actione injuriarum uno eodemq; libello
cumulari possit, in disceptationem venit? Affirmativam ut am-
pleteat, movet me Ulpian. qui cum Marcello & Neratio respon-
dit, de pluribus injuriis separatim non esse experiendum, sed o-
mnes simul conjungendas l. 7. §. 5. ff. de injur. Alterum argumen-
tum quo sententia hæc stabilitur, suppeditatidem Ulpianus, cum
in-

inquit: Quoties incertum est, quæ potius actio teneat, duas dicere solemus, protestati ex altera nos velle consequi, quod nos contingit. l. 1. §. quia autem. 4. ff. Quod legatorum. Quin etiam poenam hanc, quæ calumniosus diffamator venit afficiendus, pro qualitate delicti, ad mortem quandoq; extendi posse, perspicue apparet è Constitut. Criminal. Carol. V. artic. uo. Consimilem poenam jus militare dicit malitiosis convitiatoribus, uti videre licet ex articulis militaribus Suec. & Holland. quorum verba ita se habent: Wer seiner hohen Obrigkeit vnd vorgesetzten KriegsOfficirern vbeln nachredet oder sie verschimpft vnd verspottet der soll andern zum Abschew/ an Leib vnd Leben ohne einige Gnad gestrafft werden. vide Schwedischen Articulis Brief tit. 4. artic. 23. & 27. Hollandisch Kriedsrecht. artic. 9.

X.

Hic ita expositis, reliquum nunc erit, ut ultimo loco pauca quædam de Appellatione (a) dicamus, quæ sententiam plerumq; subsequitur (b) Nos hac vice principalem quæstionem quam Dd. in hac materia sibi ventilandam sumere solent, breviter discutiemus: Num diffamans à sententia impositionis perpetui silentii possit appellare? Affirmativam tuebimur. (c)

(a) Appellatio est à Judice inferiore ad superiorem ratione graviminis per sententiam illati, gradatum facta provocatio. Imperatores. ff. de appellat. c. dilecti, Extra. de appellat. VV esenb. in π. ff. de appellat.

(b) Cum nemo adeò resupinus esse videatur, ut suum, facile jaçtare velit l. 25. in pr. ff. de probat. quilibet, qui per iniquam magistratus inferioris sententiam se gravatum sentit, appellare & de iniquitate Judicis conqueri velle non immerito præsumitur.

(c) Diximus supr. th. 8. lit. a. ab assignatione termini ad agendum appellari posse, unde sequitur appellationem à sententia impositionis silentij multò magis licitam esse. Et quamvis iure civili regulariter ab interlocutoria appellari non possit l. 6. §. 3. C. de appellat. l. 7. C. quorum appellat. non recip. tamen quando per sententiam interlocutoriam infertur tale gravamen, quod per Appellationem

tionē à definitivā reparari nequeat, tunc licitam omnino esse Appellationē sufficienter probat Geil.l.1. obs.132. per tot. & obs.129. Mynsing. Cent.4. obs.43. Quibus adde Ordinat. Camer. part.2. tit. 29 §.4. Probavimus autem thesi praeced. lit. d. sententiam, qua diffamatori perpetuum silentium fuit impositum, obtinere vim definitivæ, & maximum gravamen diffamanti adferre, ita ab ut agendo planè excludatur. Quare concludimus, quod ab impositione perpetui silentij, vel à pronunciatione de non audiendo ulterius diffamans optimo jure possit appellare. vid. Geil. & Mynsing. loc. citat. Contard. cap. 5. n. 147. Cagnol, ad hanc l.n. 22. Et tantum de saluberrimo L. diffamari remedio.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

COROLLARIA.

I.

An calumniis, maledictis, injuriis & obtrectionibus, sive temeritate, garrulitate, & petulantia, sive alio quodam pessimo nocendi more factis, fama, nomen & existimatio honesti alicujus viri maculari, inquinari, minui aut amitti possit? Neg.

II.

An verbis injuriosis provocatus, convitium falsò dicenti idem crimen regerere, vel respondere possit, Tu mentiris? Affirm.

III.

An actio injuriarum quā agitur ad palinodiam sit civilis, an criminalis? prius affirm.

Cui virtus cordi est securâ navigat aulâ
Fortunamq; suo temperat arbitrio:
Seu faveat, ventis non fidere nescit amœnis
Seu secus, ast animus non tam en abiicitur.

Seit

*Seu laudent homines illum, seu carpere rancum
Norint, arbitrio hoc temperat usq; suo
Nec bona quæ sequitur vult, si non invidus adfis
Zoilus: hæc etenim sunt bona parta benè.*

M. Justus Brawe.

In Calumniam.

Invide quid laceras famam? quid livide dentem
Stringis in innocuum? quid fera lingua crepat?
IAnne tibi voluptas est justos mordace cavillo
Rodere, & hinc laudes accumulare tuas?
Flagitium magnum! quod ab ipso prosilit orco,
Et Stygium diro pro Patre Numen habet,
Fortè cupis vivo cognoscere Zoile vultu
Stemma tuum, & generis nomina foeda tuis
En! Pater est nugax, vani mendacia verbi
Cui cordi: Genitrix invidiosa lues:
Nutrix cura cluit damnoſa. hui! maxima stripis
Gloria, quâ mundo Zoile foede tumes.
Et quoq; Personæ præconia discupis? euge!
Vilis & ignavus diceris atq; loquax,
Hæc ego non refiero, magnus sed Lipsius, illum
Tu lege, sic scabiem noveris esse tuam;
Hic tibi sordet, docta hæc fomenta capesse,
Quæ tua DETHMAR vulnera penna levat.
Atq; Laverna tuam posthac rogo comprise linguam,
Nec male dentatis lædere perge probris.


scribebat
Fædissima diffamationis osor
Nicolaus Henrich Storck
Rinth-VVestph.


Ad præstantissimum & Eruditissimum Virum
Dn. THEODORUM DETHMARUM
amicum & commensalem meum di-
lectum.

Tu diffamantes stringis DETHMARE, Themistos
Aonidumque decus, docta notata refers:
Hac legat eximios aliorum rodere mores
Qui cupit, & falsi dicere verba soni.
Hac legat & posthac nulli mala crimina fingat,
Et referat vero teste probata suo.
Quid vero DETHMARE tibi? quid grater Amice?
Perge velut pergis, dat tibi jura Themis,
Et tandem statuet supremi munus honoris,
Hac rata vota precor juridicina velis.

amoris & benevol. ergo approporabat,

Henricus Starck Neoburg-
Lunæburg.





errum est, quæ potius actio teneat, duas di-
stati ex altera nos velle consequi, quod nos
item. 4. ff. Quod legatorum. Quin etiam poenam
suis diffamator venit afficiendus, pro qualis
em quandoq; extendi posse, perspicue appa-
al. Carol. V. artic. uo. Consimilem poenam jus
tosis convitiatoribus, uti videre licet ex arti-
Holland. quorum verba ita se habent: Wer seiner
vorgesetzten KriegsOfficirern vbeln nachredet/ os-
t' d' verspottet/ der soll andern zum Abschew/ an Leib
Gnad gestrafft werden. vide Schwedischen Arti-
3. & 27. Hollandisch Kriedsrecht. artic. 9.

X.

ositis, reliquum nunc erit, ut ultimo
am de Appellatione (a) dicamus, quæ
am q; subsequitur (b) Nos hac vice
stionem quam Dd. in hac materia sibi
nere solent, breviter discutiemus:
a sententia impositionis perpetui si-
lare? Affirmativam tuebimur. (c)
est à Judice inferiore ad superiorem ratio-
ntiam illati, gradatim facta provocatio-
at c. dilecti, Extra. de appellat. VV esenb. in π. ff. de ap-

o adeò resupinus esse videatur, ut suum fa-
. in pr. ff. de probat. quilibet, qui per iniquam
is sententiam se gravatum fentit, appellare &
conqueri velle non immerito presumitur.
pr. th. s. lit. a. ab assignatione termini ad agen-
, unde sequitur appellationem à sententia
multo magis licitam esse. Et quamvis jure
interlocutoria appellari non possit l. 6. §. 3. C.
appellat. non recip. tamen quando per senten-
ciā infertur tale gravamen, quod per Appella-
tionem

the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.